



Universitätsbibliothek Paderborn

**D. Burchardi VVormaciensis Ecclesiae Episcopi,
Decretorum Libri XX. ex Consiliis, & orthodoxoru[m]
patru[m] Decretis, tum etiam diuersaru[m] nationum
Synodis, ceu loci communes congesti, in quibus ...**

Burchardus <Wormaciensis>

Parisiis, 1549

Vt sacerdotes domini, sicut vulgus facere solet, iuare non præsumant, vel
compellantur. cxcii.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10722

peccatoribus potestas, qua sanctos ipsius persequantur, ut qui spiritu Dei iuantur & aguntur, fiant per laborum exercitia clariores. Illi tamen qui hoc agunt, nullatenus euadent poenam, quia ut ait dominus, Væ illi per quem scandalum venit. Et quanquam iuxta saluatoris sententiam necesse sit venire scandala, væ tamen per quem veniunt. De occultis etiam cordis alieni temerè iudicare peccatum est, & cum, cuius non videntur opera nisi bona, iniquum est ex suspitione reprehendere: cum eorum quæ homini sunt incognita, solus Deus iudex sit iustus inspector & verus. Unde scriptum est: Incerta non iudicemus quoadusque veniat dominus, qui & illuminabit abscondita tenebrarum, & manifestabit consilia cordium. Et quamuis vera sint, non tamen credenda sunt, nisi quæ certis iudiciis comprobantur, nisi quæ manifesto iudicio conuincuntur, nisi quæ iudiciali ordine publicantur. Nullus ergo potest humano condemnari examine, quem Deus suo iudicio reseruabit. Hæc omnia summoperè sunt præcauenda, ne præsumptores esse videamur.

Vt sacerdotes domini, sicut vulgus facere solet, indicare præsumant, vel compellantur. Cap. CXCIII.

Sacramentum autem hætenus ab episcopis & reliquis Sordinibus exigi, nisi pro fide recta, minimè cognouimus, nec spontè eos iurasse reperimus. Summoperè ergo sanctus Iacobus apostolus prohibens sacramentum loquitur dicens: Ante omnia fratres mei nolite iurare, neque per cælum, neque per terram, neque per aliud quodcumque iuramentum. Sit autem sermo vester, est, est, non, non: ut sub iudicium non decidatis.

De episcopo sinistro rumore asperso, per sacramentum autem & purgato & absoluto. Cap. CXCIII.

HABET HOC PROPRIUM antiqui hostis inuidia, ut quos in prauorum actuum perpetrati- nem, Deo sibi resistente, decipere non valet, opiniones eorum falsa ad præsens simulando dilaceret. Quoniam igitur quædam contra sacerdotale propositum de Leone fratre & coepiscopo nostro sinister rumor asperferat, utrum vera essent, districta diutius fecimus inquisitione perquiri, & nullam in eo de his quæ fuerant dicta culpam

*Ex decretis
Cornelii
pape.*

*Ex re. ad
Iustinum
imperat.
c. 107. §.*